



Annales Societatis Divini Salvatoris


Ut manu scripti a Generalatu eiusdem Societatis editi

Vol. I.

Romae, die 1. Augusti 1947

Num. I.

„Sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est“ (Tob. 12, 7). — „Filii qui nascuntur, et exsurgent, et narrabunt filios suis, ut ponant in Deo spem suam et non obliuiscantur operum Del: et mandata eius exquirant“ (Ps. 77, 6-7).



de 200

Photo: Crescente, Roma

Reverendissimus Pater Franciscus Emmenegger
Superior Generalis



Adm. RR. PP. Fulgentius - Cormacius - Athanasius - P. Generalis - Dorotheus - Vincentius
(Oecon. Gen.) (Proc. Gen.) (I. Cons.) (II. Cons.) (Secr. Gen.)

CHRONICA SALVATORIANA

**In caritate Divini Salvatoris
dilectis confratribus salutem plurimam!**

Hisce verbis Pater Superior generalis nuper electus omnes confratres carissimae nostrae Societatis salutat ac gratias agit pro congratulationibus sibi ad electionem necnon ad vicesimum quintum ordinationis sacerdotalis anniversarium oblatis. Romae, in urbe aeterna, cotidie grato animo coram Deo omnium confratrum memor est eritque eo in loco nobis omnibus sacro, ubi nostrae Societatis fundamenta oratione continua et indefesso labore jecit

stabilitque Venerabilis Pater Franciscus M. a Cruce Jordan. Qui ipsius nunc gravi officio oneratus est, vobis omnibus promittit se *in spiritu venerabilis Fundatoris* Societatem esse recturum. Ut divinus Salvator Beatissima Matre intercedente ipsum adjuvet, sese commendat precibus omnium confratrum et instanter petit ab unoquoque et *collaborationem sinceram et fiduciam totam*. Ex unanimi labore ob amorem Divini Salvatoris generose praestito



Patres Capitulares adunati ad VIIum Capitulum Generale

stat et crescit nostra carissima Societas. Novus Pater Superior Generalis vobis omnibus serviet hisce verbis : « Appareat in nobis benignitas et humanitas Salvatoris nostri. »

Folia, quae vobis hodie prima adveniunt, continuant « Annales Societatis Divini Salvatoris », quos anno 1916 inchoaverat et optimo sensu et perfectissimo stilo scribebat *Reverendissimus Pater Generalis Pancratius*. Bello perdurante Annales difficulter ad vos pervenerunt ; tragica Reverendissimi Patris Pancratii morte editio penitus interrupta est. Ut tamen aliquo modo annualium vices supplerentur, ad vos pervenerunt « Monatsbriefe aus dem Mutterhaus S. D. S. in Rom » (Litterae mensiles e domo generalicia S. D. S. Romae), quae litterae non parum placuerunt con-

fratribus. In posterum saepius parebunt chronica, quae, prout fieri poterit, erunt « illustrata ».

Plures Patres Capitulares ea expresse desiderarunt lingua latina conscripta. Quamobrem mandamus Adm. Reverendis Superioribus provincialibus, ut ea in linguam vernaculam traducenda curent, ne carissimi fratres conversi notitiis priventur.

Iisdem Adm. Reverendis Patribus provincialibus curae sit, volumus ut saltem bis in anno nobis adveniant notitiae satis ampliae de vita et eventibus cuiusque provinciae domusque et ut addentur ea quae ad illustranda sunt apta. (Photographicae imagines sint in carta alba nitida « hellweißglänzend » — paper clear whit glitterd bright. — carta bianca lucente).



Photo : G. Felici, Roma

Sanctissimus Pater cum Capitularibus

Notitiae e casa generalicia

Omnis scire cupiunt ea quae sunt de *septimo capitulo generali*. Adm. Rev. *Pater Vicarius Generalis Capitulum* tempore debito indixerat. Attamen incertum manebat, an ob difficillimas rerum vicissitudines omnes Patres Capitulares legitimations ad iter necessarias obtinere possent. Deo favente quasi omnes, qui convocati erant, Romanam advenerunt ita, ut Capitulum haberi posset; etsi pauci nonnisi durante capitulo advenirent. Non advenerunt Superiores et delegati ex Sina et Romania. Omnes Capitulares in domo generalicia hospitari potuimus, cum amplificatio domui recenter adjecta cameram unicuique praebueret. Provincia Americae

septentrionalis semper generosa et cui et hic gratias intimas iteramus, R. Patri Procuratori in adjutorium venerat, ne gravibus sufficientis victus curis nimis turbaretur. Erant inter nos, qui, uti legimus in Apocalypsi, «venerant ex magna tribulatione» (7, 14).

Inchoavimus capitulum die 1. Maii adunati in recollectione spirituali quam aptis contionibus nutritivit Adm. R. P. Paulus M. Pabst. Adm. Rev. *Pater Vicarius generalis* nobis verbis disertis et pietate plenis memoravit merita *Eminentissimi Cardinalis Protectoris La Puma* necnon *Reverendissimi Patris generalis Pancratii Pfeiffer*.



Photo: Sciamanna, Roma

Curia generalicia post renovationem

Non potuimus habere notitias certas de statu omnium et singularum provinciarum et domorum, cum non omnes potuissem mandare tempore utili statisticas necessarias. Nihilominus ex eis, quae nobis patebant, notitiis certis, satis constabat, Societatem ab ultimo Capitulo generali, Deo favente creuisse et numero et merito.

Feria II a. die 5. Maji, indicta erat electio Novi Patris Superioris generalis. Electus est *Pater Franciscus Emmenegger*, natus Schmitten (Friburgi, in Helvetia), receptus in Societate a. 1910, professus a. 1919, ordinatus sacerdos a. 1922, ultimo tempore Commissarius provincialis provinciae helveticae necnon director et Superior Instituti Sti Nicolai in Droggens. Accepit onus Generalatus obsequens voluntati divinae et fidens adjutoribus in caelis, praesertim Venerabili Patri fundatori, cuius nomen sortitus est ingrediens Societatem et cuius morientis benedictio-

nem Friburgi uti pignus accepit. Patri Superiori Generali consultores generales dati sunt :

Adm. Rev. P. Athanasius Krächan,
1. Consultor,

Adm. Rev. P. Dorotheus Brugger,
2. Consultor,

Adm. Rev. P. Waldemarus Herborn,
3. Consultor et procurator generalis,

Adm. Rev. P. Vincentius Hirschle,
4. Consultor et secretarius generalis,

Adm. Rev. P. Joannes Schlinkmann,
Oeconomus generalis.

Adm. Reverendi Patres Waldemarus et Joannes enixe oraverunt concapitulares, ut possent declinare electionem. Causas allatas probaverunt et elegerunt in officium 3. consultoris pro P. Waldemaro *Adm. Rev. P. Cormacium Coyne* et in officium oeconomi generalis pro P. Joanne *Adm. Rev. P. Fulgentium Moonen*.



Photo : Selamanna, Roma

Curia generalicia (via della Conciliazione)

Summopere decet hic renovare gratiarum actiones Adm. Reverendis Patribus qui usquehuc res Societatis generales gesserant. Reverendissimi Patris Superioris generalis Pancratii memoriam egimus anniversario mortis et onomastico diebus solemmem Missam de Requie in sacello domus generaliciae celebrantes praesentibus omnibus capitularibus, qui et omnes in Campo Verano visitarunt locum, ubi requiescunt ossa ipsius.

Sessions Capituli generalis habitae sunt in aula magna aliae septentrionali: novae amplificationis domus generaliciae. Ante meridiem adunati eramus in sessionibus plenariis, post meridiem in consiliis specialibus.

Habitae sunt 22 sessiones plenariae. Et ista et consilia specialia animo verae caritatis fraternae et conscientia boni communis inspirata erant. *Quae proposita erant non pauca et suggerita, mature de-*

liberata sunt. Quae in sessionibus sunt statuta et definita, habetis in « Ordinationes septimi Capituli generalis ». Eas vobis cum his chronicis transmittimus sine commentariis. In chronicis sequentibus eas vobis singulas enucleate commentabimur.

Quaedam magni momenti quaestiones in Capitulo generali non potuimus definitive solvere, sed solummodo solvendas praedispone.

Generalatus et respectivae deputationes eas ultra tractabunt, nempe:

1. *Liber manualis pietatis et Caeremoniale ;*

2. *Revisio sanctae Regulae ejusque commentaria.*

Summa Ecclesiae auctoritas nobis significavit revisionem esse necessariam, quia ultima redactio anno 1918—1919 immediate post publicationem Novi Codicis juris Canonici aliquantis per nimis celeri-

ter facta est. Hanc ob causam ulteriora juris canonici commentaria circa jus reli- giosorum in nostris usquehuc vigentibus constitutionibus non sunt applicata, quae applicatio nunc est facienda. Insimul et nonnulla Constitutionum puncta juxta mentem et verbum Venerabilis fundatoris statuere poterimus.

Attamen ne quis putet novam Regulam statutam iri vel novas obligationes aut onera nos imponere velle. Ad revisionem Constitutionum deputati Patres post Capitulum usque ad finem mensis Junii deliberarunt, sed publicatio tardabit usque dum Generalatus omnia iterum reviderit neenon Saera Congregatio de Religiosis revisiones propositas approbaverit.

Capitulo, ne ulterius duraret oberat et limitatio eorum, quae « visa » nominantur, et possilitas redditus in provincias. Quas ob causas finem habuit Capitulum generale sessione 22, die 25. Maii. Post allocutionem a novo Patre Superiore generali habitam et actis Capituli generalis ab omnibus Patribus Capitularibus sub-signatis Deo omnipotenti gratias egimus eucharistica benedictione et solemnni Te Deum.

Dum Capitulares adunati erant Romae, e vita decessit Venerabilis Mater Liboria, Superiorissa generalis Sororum a Divino Salvatore. Patres Capitulares interfuerunt funeralibus memores beneficiorum a Matre Liboria ipsa vel a Sororibus Divini Salvatoris nobis praestitorum.

Cum die 15. Maji celebraretur solemnis canonizatio Sancti Nicolai a Rupe, Patres Capitulares licuit istis solemnitiis in Basilica Vaticana interesse. *In festo Pentecostes Sanctitas Sua Papa Pius XII. Capitularibus audientiam privatam specialem concessit.* Sanctus Pater laudem paeclaram tribuit Reverendissimo Patri Generali Paneratio et unicuique Capitulari verba paternae benevolentiae dixit.

Credimus nunc omnes Superiores et delegatos in singulas provincias reversos esse et de iis, quae audierunt et viderunt, sermonem habuisse. *Iis, quibus res adversae iter Romam impediverunt, specialem in Divino Salvatore salutem dicimus, praesertim carissimis in Sina degentibus missionariis.* Spero me infra paucos menses eos visurum esse. Attamen coelum obnubilatum manet. Quae futura sunt, nos latenter. Belli miseri casus et nostrae dilectissimae Societati gravia intulerunt vulnera. Plures confratres decesserunt. Quidquid sit, non desperamus, sed verbis Divini Salvatoris et sanctorum in caelo intercessione fulti res futuras aggredimur.

Primum nostrum officium est nunc non novas fundationes instituere, sed internam Societatis vitam asceticam restaurare et firmare secundum Verba Sancti Papae Pii X., quem tam pie venerabatur noster fundator : « Omnia instaurare in Christo Salvatore ! »

P. Franciscus Emmenegger
Superior Generalis
S. D. S.